

(1253) 1254 març 28

L'abadessa de Sant Daniel, Berenguera, estableix a Berenguer Gener de Montilivi un camp situat a Vilaroja, a quart i braçatge, per 30 sous d'entrada.

ASD núm. 163, perg. orig., 125 x 248 mm. Còpia: Llibre de capbreuacions de Setcases, núm. 94, f. 152.

Sit notum cunctis quod nos domina Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa, consilio et uoluntate conuentus eiusdem loci damus et stabilimus tibi Berengario Ianuarii de Montiribi et tuis in perpetuum totum illum campum quem habemus prope condaminam nostram de Uillarubea. Affrontat autem dictus campus ab oriente in honore mansi de Ulmo, a meridie et accidente in carraria inde transeunti, a circio in honore quem iam tenebas et tenes per nos, cum exitibus et ingressibus et pertinentiis et tenedonibus et cum omnibus melioramentis que ibi facere poteris, prout melius <lici etintelligi potest ad tuum commodum, mitendo inde te in corporalem possessionem ad omnes tuas uoluntates perpetuo faciendas, saluo iure monasterii Sancti Danielis cui dones fideliter de expletis quartum, et saluo iure capellani Sancti Danielis, cui dones inde braciaticum de expletis et nihil aliud inde dabitur pro censu et agrariis. Et est certum quod omnia tercia, laudismia et foriscapia dicti campi sunt et erunt monasterii predicti, et quod predictus capellanus in illis nihil habet nisi decimam racione baiuliui. Et sic conuenimus tibi dictum campum semper facere habere et tenere in pace et esse inde tibi defensatrices et guarentes contra cunctam uiuentem personam, obligantes tibi ad hec omnia bona monasterii predicti, et propter hoc <donum> et stabilimentum recognoscimus a te recepisse .XXX. solidos barchinonenses, super quibus renuncio excepcioni non numerate peccunie. Et nos Berengaria de Palegreto et Beatrix de Palleria et Ermessendis de Darnils et Agnes de Solerio, moniales monasterii Sancti Danielis, laudamus et concedimus omnia supradicta.

Actum est hoc .v. kalendas aprilis anno Domini .MCCL. tercio

Sig+num Berengarie de Palegreto. Sig+num Beatricis de Palleria. Sig+num Ermessendis de Darnils, sig+num Agnes de Solerio, monialium predictarum, qui hoc firmamus et laudamus. +Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa". Sig+num Petri de Valle Sancti Danielis, sig+num Petri de Mansione, testium. Ego Raimundus de Candela, capellanus Sancti Danielis; subscribo*.

Sig(s. man.)num Michaelis de Ulmo, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 334-335